



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118448**

§. 141. Archiepiscopus Toletanus cum tribus aliis Purpura donatus

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

§. CXLI.

Sæcul. XVI.  
A. C. 1507.

*Archiepiscopus Toletanus cum tribus  
aliis Purpura donatus.*

Præ reliquis plurimum apud Ferdinandum gratia, ac auctoritate valebat Alvarez Gomez in vita Ximen. Paris. de Grass. p. 346. Raynald. hoc ann. 24.  
Archiepiscopus Toletanus, cum ergo jam tunc, ut hodieum supremum votorum fastigium in iis, qui Ecclesiasticis dignitatibus fulgent, (\*) esset sacra Purpura, Sanctitas sua Regis Catholici precibus deferens, Archiepiscopum, datis ad eum literis Apostolicis paterno affectu plenis, Cardinalium Collegio adscripsit, qui Galerum rubrum a Nuncii manibus recepit, cum autem de titulo cujusdam Ecclesiæ provisos non esset, Cardinalis Hispaniæ vulgo nominabatur; in Cardinalium tamen albo titulum S. Sabinæ adoptasse legitur.

Præterea idem Pontifex die decima Yoa. Anton. hist. Lud. XII. Frizon. purp. Gall.  
septima Maji alios tres Cardinales natione Gallos creavit, & primum quidem, Joannem Trimollium Auxitanum Episcopum

(\*) Captiosa hac dicendi formula tacite insinuari videtur, Ximenium Cardinalitiam dignitatem ambiisse, quæ nota huic Archipræsuli a nullo omnino scriptore inuritur; imo quam alienus fuerit ab honorum cupiditate, satis testabatur repugnantia, qua sponte obtrusam Archiepiscopalem dignitatem recusabat. Vide lib. CXVIII. §. 83.



Sæcul. XVI. A.C. 1507. copum tit. S. Martini in Montibus, qui hac tamen dignitate haud diu fruebatur, cum eodem, quo purpura ornatus fuerat, mense animam exhalaret, in æde Collegiata S. Mariæ Castri Thoracensis sepultus. Alter erat Renuus de Bria primo Bajocensis, demum Lemovicensis Episcopus, Cardinalis tit. S. Luciae, qui Patruelis sui Cardinalis de Ambasia auctoritate suffultus, opulentissimis primo Beneficiis insignitus est, nimirum Archidiaconatu *Bourg-Dieu* Majore Bituricensi, Abbatia Burgo-Dei, B. Mariæ de Pratea &c. Lectorensi, Lemovicensi, ac Bajocensi Episcopatibus, denique etiam Cardinalium dignitate. Tertius tandem erat Ludovicus de Ambasia, Albiensis Episcopus, Cardinalis, tit. SS. Marcellini & Petri, Cardinalis Georgii de Ambasia Nepos.

## §. CXLII.

*Nonnullorum Cardinalium obitus.*

*Surita lib. 6.* *Platina in Calixt. III.* Cum Sacrum Cardinalium Collegium plures fatis ereptos luxisset, Papa numerum reparaturus præfatos creabat. Mortui autem erant. I. Joannes de Castro Hispanus Episcopus Agrigentinus in Sicilia, ac Slewizensis Episcopatus in Dania Administrator, purpura decoratus ab Alexandro VI. Anno Salutis millesimo quadringentesimo nonagesimo sexto. II. Ludo-